



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Epistolæ Præpositorum Generalium Ad Patres Et Fratres Societatis Jesu**

**Oliverius, Horatius**

**Pragae, 1711**

XXIV. Ejusdem ad Provinciales, & PP. Congr: Provinc: Societ: Anno 1619. 7.  
Mart: De præsentī Statu Societatis

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55386](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55386)

Præpositorum Generalium  
Societatis JESU

XXIV.

R. P. N.

MUTII  
VITELLESCHI

Præpositi Generalis VI.

Tertia,

Ad Provinciales, & Patres  
Congregationum Provinciali-  
um ejusdem Societatis.

Anno 1619. 7. Martii.

*De præfenti Societatis Statu.*

I. Nstante Congregationum Provinciali-  
um tempore, quo singulis in Provin-  
ciis unus eligatur venturus ad Congre-  
gationem Procuratorum, quæ Romæ co-  
getur, favente Domino, ad 15. Novem-  
bris decurrentis anni 1619. volui ego spiri-  
tu affectuque animi, quando aliter nequeo,  
sistere me præsentem omnibus, ut ubi am-

*Qualis  
fuerit an-  
no 1619.  
Status So-  
cietatis.*

Gg 5

plexus

plexus fuero quàm arctissimè unumquemque dilectissimorum Patrum meorum (quos ego nomine Societatis, gaudium meum, & coronam meam ritè mihi videor appellare posse) iisdem quadantenus exponam, tum quò nunc statu sit nostra Societas, quòsve progressus ea faciat, aut eam certè facere, Christo favente, confidamus; tum quò potissimum ea nè delabatur, vereri possimus, quando sui ipsius, quod absit, suave perturbationis curam negligeret. Ex harum quippe rerum notitia faciliùs pertingent RR. VV. ad eum scopum, quem huiusmodi Congregationes tertio quoque anno fieri solitæ, habent sibi propositum, & expressum in earundem formula, approbata à Congregatione quarta generali, §. 31. Ego simul officio meo aliqua ex parte satisfacere, non ardenti illi desiderio, quod mihi Dominus largitus est, non parcendi labori, neque ullam prætermittendi occasionem, quæ submotis impedimentis, promovere valeam, & quidem in dies vehementiùs, adeò commendabile sanctæ hujus Religionis institutum. Crediderim equidem, posse me verè affirmare, quòd non mediocri RR. VV. ac mihi pariter esse debeat consolationi, universum hoc Societatis corpus (Deo sint laudes) rectè habere, vegetumque esse

ac firmum in procuranda tum propria, tum proximi salute atque perfectione. Tametsi, ut ferè usu venit in humano corpore, suæ non desint infirmitates ordinariæ, interdum etiam extraordinariæ nonnullæ: sed quibus tamen opportuna adhibeantur remedia; deprompta videlicet ex Constitutionibus, ex regulis, ex consultationibus, quæ de more instituuntur cum Patribus Assistentibus; denique ex eo lumine, quo benignissimus Dominus pro divina sua providentia perpetuò assistit huic suæ minimæ Societati. Unde & ipsa dilatatur quotidie magis ac magis, & similiter augetur ubique fidelium numerus, qui vel ab hæresi, falsòve idolorum cultu ad fidei veritatem adducuntur, vel à Nostris adjuti, ad meliorem frugem se recipiunt. Adeò ut rectè cum Apostolo dicere possimus: *Ostium magnum nobis apertum est*; & quidem toto pæne orbe, ne- dum in aliqua ejus parte: sed adjiciendum itè quod subjungit Apostolus: *Et adversarii multi*; nobis, inquam, nihil non audentibus in eo, qui nos confortat; sed perinde diffidentibus, nobisque meritò timentibus à nostris ipsorum miseris atque infirmitatibus. Enim verò justam maximi timoris causam habet nostra fragilitas, ob id quod aptè indicat S. Augustinus, dum generatim agens

1. Cor. 16.  
9.  
de

de creaturis, sic loquitur: *Omnes creaturæ ex eo proficere possunt, quia esse ceperunt; et eo deficere, quia ex nihilo factæ sunt: ad defectum conditio eas ducit originis, ad profectum potentia conditoris.* Nec sanè dubium, quod si mentis oculos convertamus ad illam Domini dexteram omnipotentem, quæ tantum brevi temporis spatio à tam exili, tenuique principio Societatem nostram ad tantam provexit amplitudinem, ut ei rectè congruat

ant verba Psalmistæ, *Plantasti radices ejus, & implevit terram: operuit montes umbra ejus, & arbuta ejus cedros Dei: extendit palmites suos usque ad mare, & usque ad flumina propagines ejus;* Nec, inquam, dubium, quin si ea, quæ dixi, consideremus, sperare possimus ac debeamus fore ut illa ipsa manus, quæ Societatem instituit, eandem custodiat atque perficiat. Id nimirum pollicetur P. N. IGNATIUS in ipso Constitutionum proœmio.

*Societati detrimenta unde maximè timenda?* 2. At enim si altera ex parte conjiciamus oculos in materiam ipsam, ex quo corpus hoc constat, scilicet in personas totamque diversarum nationum, affectionum, morum, voluntatum; jure timendum est, ne nostrâ culpâ regularum sanctarum disruptâ sepe, dicatur aliquando: *Exterminavit eam aper de silva, & singularis ferus de-*

Ibid. 14.

*vit eam aper de silva, & singularis ferus de-*

passus est eam; sitque hoc primum de damnis, à quibus Societas possit ac debeat sibi timere. Atque utinam ista ex parte nihil jam detrimenti acceperit! Non vacat mysterio, quod ipso Societatis nostræ exordio, cum eam Dominus Deus è suo nihilo ad tam insignem evocavit statum, eandem coagmentari voluerit è personis adeò discrepantium inter se nationum, sed quas arctissimo caritatis vinculo copulârit, eisque unum quasi vitalem spiritum infuderit; quemadmodum & illis olim apud Ezechielem aridis ossibus: & ità quidem, ut ipso Constitutionum initio dicere non dubitârit B. P. IGNATIUS, vix sibi videri necessarium regulas in Societate conscribere; quandoquidem unica regula caritatis, quæ est plenitudo legis, regula esset, atque instar omnium regularum. Jam verò nollem, Patres mei dilectissimi, ex veritate posse dicere: *Ad defectum nos conditio ducit originis.* At excrescimus, & longè latèque diffundimur: agit ferè quisque perpetuò cum suis indigenis: plurimi nescio quo affectu, & quasi zeolotypiâ, ad suam restringi videntur Provinciam. Verendum maximè, nè excidentes ab illa felici regeneratione, ad primam nostram originem brevè revolvamur. Principio videlicet nostræ Societatis nullum ap-  
pa-

r. Ex spiritu nationali.

Cap. 37.

parebat discrimen Collegiorum, aut Provinciarum, sed nè quidem nationum, regionum, aut regionum; nunc tamen negari non potest, quin se prodat in nonnullis nebulis affectus, & zelus illius particularis boni, quod ad suas ipsi putent spectare Provincias; indéque sensim sinè sensu minuatur, atque intepescat amor communis boni omnium Provinciarum, & subintret perterritum meum & tuum, frigidum illud verbum, ut ait S. Chrysostomus, & quidquam malorum est invehens. Utut sit, hoc unum summopere exopto (& ob id ego, ut quidem possum, assidue fundo cor meum in conspectu Domini) ut in spiritu humilitatis & in animo contrito procidamus ante Deum, ploremus coram Domino, qui fecit nos, & evexit ad vitam hanc spirituales, dum nos constituit membra mystici corporis Societatis; tum ardentissime ipsum precemur, ut eam, quam plantavit dextera sua perficere omni ex parte dignetur, quantum vis denuo foret opus illo miraculo, quod olim per Ezechielem operari non est gratum: *Et tu fili hominis, sume tibi lignum unum, & scribe super illud, Juda, & filiorum sociorum ejus; & tolle lignum alterum, & scribe super illud, Joseph, ligno Ephraim, & cuncta domui Israël, sociorumque ejus;*

Cap. 37.  
à v. 16. us-  
que ad fi-  
nem.

junge illa, unum ad alterum tibi in lignum unum, & erunt in unionem in manu tua. Cum autem dixerint ad te filii populi tui loquentes; Nonne indicas nobis, quid in his tibi velis? loqueris ad eos. Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego assumam lignum Joseph, quod est in manu Ephraim, & tribus Israël, quæ sunt ei adjunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Judæ, & faciam eas in lignum unum, & erunt unum in manu ejus, & faciam eos in gentem unam in terra, & Rex unus erit in omnibus imperans, & non erunt ultra duæ gentes, nec dividuntur amplius in duo regna, & erunt mihi populus, & ego ero eis Deus, & servus meus David Rex super eos & pastor unus erit omnium eorum. Tunc autem procul dubio consequetur multiplex illa felicitas: In judiciis meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea, & habitabunt super terram, quam dedi servo meo Jacob, in qua habitaverunt Patres vestri. Et habitabunt super eam ipsi, & filii eorum, & filii filiorum eorum usque in sempiternum: & David servus meus, Princeps eorum in perpetuum. Et percutiam illis fœdus pacis, pactum sempiternum erit eis, & fundabo eos, & multiplicabo, & dabo sanctificationem meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis, & ero eis Deus, & ipsi erunt mihi populus. Et scient gentes, quia ego



ego Dominus sanctificator Israël, cum fuerit  
 sanctificatio mea in medio eorum in perpetuum.  
 Enim verò Patres mei in Christi vultu  
 ribus dilectissimi, tamen si non sum ego Pro-  
 pheta, sed omnium minimus, sentio me  
 men à Domino impelli, ad id officii præsta-  
 dum, quo vel meo profuso sanguine res-  
 cam Societatem nostram ad humum fusa-  
 ùt illic ait Propheta, hoc est, ad pristina  
 suam veræ ac plusquam fraternæ carita-  
 unionem; tum maximè si RR. VV. quæ  
 præcipua sunt membra suarum Provincia-  
 rum, me juvabunt oratione, verbo, & ex-  
 emplo.

2. Ex de-  
 fectu Obe-  
 dientie

3. Secundum caput, quod multa nobis  
 ac gravia damna minatur, est defectus  
 etæ obedientiæ, quem in plerisque non  
 rò experimur, dum agitur de ministerio  
 de loco, aliave re, quæ minus arrideat  
 convenire putetur miseræ illi existimatio-  
 quam in humilitatis domo (quod pudenda  
 dum est) tanti facimus. Quoniam autem  
 B. P. N. IGNATIUS in illa sua divina re-  
 re, nec unquam satis commendata epistola  
 de Obedientia, virtutem hanc substituit,  
 quasi subrogat iis pœnitentiis, & corporis  
 afflictationibus, quibus in Ecclesia Dei  
 rique alii Ordines Regulares, juxta proprium  
 um cujusque Institutum magna cum adhi-  
 catio

catione prælucent ; hæc profectò una si nos  
deficiet obedientia , jure nobis ab aliqua im-  
minente ruina timendum erit. Nec jam  
inficiari possumus ( quod pariter lugendum  
est ) quin incipiamus id in nobis præsentire,  
& , quod est consequens , nonnihil damni  
nostris in ministeriis. Dum etenim aliqui  
( faxit Deus , sint pauci ) veluti hujus cor-  
poris membra , certis in locis , occupatio-  
nibus , ac muneribus , student magis hono-  
ri ac nomini , propriisque commodis , quàm  
totius corporis , necesse omnino est , gravia  
indè proveniant incommoda ; multisque in  
rebus nostrum desideretur officium : non  
quia desunt operarii , sed animi inductio , &  
absoluta resignatio in manibus Superiorum ,  
ipsa denique , ut uno verbo dicam , obedi-  
entia. Imò quod est dolendum magis , non  
deest , qui ut eò , quò intendit , perveniat ,  
patronos & intercessores , tam intrà quàm  
extra Societatem , perquirat , majori cum  
jactura boni nominis , graviorique offensio-  
ne tum domi , tum foris , quàm facilè cre-  
dat qui hæc molitur ; & quidem contrà  
quàm Decretis admodum severis cautum est  
à sexta , & septima Congregatione generali.  
Unde credibile sit fore , ut compellatur ali-  
quando Societas extremum illud adhibere  
remedium , quod scimus attigisse nonnullos

eorum Patrum, qui interfuerunt postremæ  
 Congregationi generali, videlicet, inha-  
 litatis ad omnia ministeria, &c. Ex  
 namque vitio, ut liquet, paullatim indu-  
 tur altera longè major deformitas, nimirum  
 ut aliqua hujus corporis membra non  
 dō sibi munia usurpent aliis assignata me-  
 bris ejusdem corporis (quod etsi incon-  
 niens, minus tamen est grave) sed etiam  
 se recipiant eorum officiorum ac nego-  
 rum tractationem, quæ sint à Societatis co-  
 pore penitus abhorrentia, & ab ejusdem  
 stituto aliena. Id vero ut illi assequantur  
 insinuant se in amicitias Principum, eorum  
 adhibent favorem, iis se tuentur: adeo  
 cogatur Societas, vel eorum à se voluntate  
 alienare, si deneget postulata; vel  
 destruere, si concedat. Sed præstat  
 dere in manus hominum, quam in  
 Dei viventis. Nec est quod quisquam  
 hi dicat: Nollem id ego quidem, mihi  
 ter, sed eo me adigit Dominus ille,  
 Princeps: nam si te puderet, non dicam  
 Principe occupari, sed vel solam tuam  
 quiri operam ad quodvis munus tuo  
 conveniens instituto, ausim ego affirmare  
 numquam eum tibi fore inportunum.  
 verò plus satis mihi compertum est,  
 velle Principes, quia velis; ideo Societatis

esse importunos, quia te illis importunum præbeas.

4. Spectabit tertium caput ad suavissimum castitatis votum, à cuius tamen tractatione libenter abstinerem, quandoquidem B. P. N. IGNATIO satis fuit dicere, eam virtutem in Societate debere Angelicam imitari puritatem. Et verè (quæ singularis est illius Domini benignitas, qui pascitur inter lilia,) talis omnino illa est, in quam plurimis Societatis alumnis, qui parati sunt sequi Agnum quocumque ierit. Sed necessitas occupationum, quæ periculo sunt obnoxia, occasiones varia ac multiplices, defectus orationis, internæ recollectionis, studiique ambulandi sollicitè coram Deo, nonnullorum otiositas, aliorum denique nimia commoditates, non levem nobis metum incutiunt, nè optimo Societatis auro aliquantisper obscurato, amarissimi luctûs causa præbeatur ei, qui aliquo tangatur zelo nominis Societatis, & divini honoris; nève liceat cum significatione doloris & conquestionis exclamare: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus? Ceterùm quamvis non sit meæ mentis novas edere Ordinationes ( extant quippe sat multæ, & quidem efficaces ) non possum tamen non vehementissimè obsecra-

3. Ex periculis Cassimonia.

re, & obtestari Reverentias Vestras, ut  
 amorem Dei etiam atque etiam consideremus  
 num quid amplius in eo rerum genere pro-  
 scribendum occurrat; nè fortè culpam  
 strâ tam pretiosus thesaurus, non dico  
 pereat, (nam qui benignissimus Dominus  
 eum Societati largitus est, eundem, ut  
 vat sperare, pro sua bonitate servabit)  
 nec ulla vel minima sui parte minuat.

4. *Ex re-  
 laxamen-  
 to Pauper-  
 tatis.*

5. De Paupertate aliquid etiam dice-  
 dum esset; nec enim dubium, quin ea re-  
 laxetur, indèque debilitetur nostræ Reli-  
 gionis murus. Et revera non se producit  
 in nobis ea grati animi, tenerique amoris  
 signa, quæ huic virtuti, quam matrem agno-  
 scimus, jure debentur. Sed aliud item est,  
 quod me pungit acerbius, & ob id Re-  
 verentiarum Vestrarum consilium & opem  
 imploro & exposco. Reperitur nempe  
 qui laxiores in hac materia evocet opinio-  
 nes ac divulget; atque utinam illæ pariter  
 non adversentur veritati! Zelus insuper  
 marum sanè quàm refrigescit in multis,  
 misque verum est, paucis nos esse con-  
 tos, & à nobis occupationes assumi, ac mi-  
 nisteria ex voluntate potiùs traducendi  
 pus, quàm ex sincero ardentique desiderio  
 & fame salutis animarum. Est etiam,  
 si velit, duorum instar esse queat; sed

sibi incommodet, nè unius quidem partes expleat. Hinc porrò fit, ut cui muneri olim satis forent quatuor, nè viginti quidem, ùt sunt hæc tempora, fortasse sufficiant. Certè cum ipse mecum reputo, quid illi primi decem Patres effecerint; quid aliàs itèm hæc sola professa Domus Romana cum operarum numero sanè perexiguo, digna res mihi prorsus videtur, in qua omnes erubescamus, ùt verè operit faciem meam confusio. Huc pertinet, quod memini evenisse anno 1563. Nobilis quidam Româ, ubi aliquamdiu moratus erat, reversus in patriam, & interrogatus à suis, quid omnium vidisset Romæ pulcerrimum; planissimè respondit, Societatem JESU. O quàm vellem his nostris temporibus liceret idipsum affirmare non solùm de Urbe Romana, sed de aliis quoque, ubi sedem ac domicilium Societas nostra collocabit!

6. Ad hæc inter privatos crescunt vitæ commoditates, atque in dies curantur impensius. Faxit Deus, nè præcipua ejus rei causa tribuatur nostro Superiorum exemplo: nostrum enim plerique in eo delinquimus; frustra que à subditis emendationem requiremus, si nos eam primi non exhibebimus. In recreationibus, in vineis, aliisque oblectamentis, negari non potest,

*s. Ex cura  
proprietarum  
commoditatum.*

quin appareat excessus, multaque superfluitas. In oratione, & examine quotidianis ceterisque spiritualibus exercitationibus valde vereor ne quippiam desideretur a paucis. Quod si a grege, etiam cum eorum adjumentorum usu, religiosa vita sustentur, quid tandem futurum est, si ejusmodi exercitationes aut omittantur, aut ad negligenter, oscitanturque obeantur, ut perdesit, atque si prætermittentur? In his rebus non potest una aliqua generalis præferenda regula æque omnibus conveniens. Si quis tamen aliquam sibi volet præfigere, illam assumere licet, quam omnibus communiter assignat S. Augustinus, qui se ipsum interrogans in hunc modum: *Quantum temporationi tribuendum est?* Sic ipse sibi respondet: *Quamdiu vacat; id est, quamdiu aliorum bonarum & necessariarum actionum non impediuntur officia.* Hac profecto regulam utetur, nulquam ei vacabit loqui extra templum, referre vel audire sæculi rumores, ingredi cubicula. Quin imò, quod plurimum faciendum est, longè majorem quovis ministerio ac ministerio spiritualem consolationem & animi quietem experietur, seque suavitatem & cum uberiore proximi fructu, in salutem animarum superimpendet. Denique ut epistolæ finem imponam, tamen si adversus

hæc, quæ strictim attingi, mala & incommoda non desint remedia, eaque per Dei gratiam efficacissima, quæ petere liceat ex Constitutionibus, regulis, instructionibus, & ordinationibus, quas, ut dixi, multiplicare non intendo, præsertim cum negotii summa pendeat ab executione, quæ similiter pendet à Superiorum fortitudine ac zelo; quando certum est regularum praxim fore satis, ut omnibus occurratur incommodis: nihilominus tamen pervelim, & magnopere commendo RR. VV. ut fuis ad Deum precibus considerent, ac pro ea voluntate, quam eis Dominus largitur propensissimam in progressum Societatis, tractent inter se, inquirantque diligentissimè, quid demum possit effici, ut non modò nihil nostræ Religioni deterius contingat; sed potiùs ad id, quod perfectum est, assequendum, bene omnes animati contendamus, & quidem convenienter sublimitati nostræ vocationis, ac peculiaris instituti. Quidquid autem putabunt, statuèntque mihi suggerendum, accipiam ego libentissimè ab istius Provinciæ Procuratore Romam venturo. Equidem in eum finem jam ab aliquot mensibus ego singulis hebdomadis ex thesauro Societatis offero Patri misericordiarum magnum numerum sacrificiorum, & Rosariorum, ut ab



488 *Ep. XXIV.* R. P. N. MUTII VITELLESCHUS  
istis Congregationibus, quæ primæ sunt  
quo me Dominus Deus, quantumvis in-  
bilem, qualem me in dies agnosco man-  
stius, ad hoc munus destinavit, is qui sper-  
tur, propitio Numine, fructus percipiat  
ad continuum Societatis incrementum,  
subsidium animarum, ad majorem denique  
divinæ Majestatis gloriam & honorem.  
Quod superest ego me plurimum, atque  
animo commendo precibus omnium, & sanctis-  
simum sacrificiis. Gratia Domini nostri  
JESU CHRISTI cum omnibus vobis  
Romæ 7. Martii, 1619.

RR. VV.

*Servus in Christo*

MUTIUS VITELLESCHUS

EP